

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Breviarium hominis christiani - Cod. Ettenheim-Münster 79**

**[S.l.], [18. Jahrh.]**

Caput XIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-108661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108661)



Caput XIX  
Aspirationes ad Deum  
ob eius simplicitatem.

Res, quò perfectiores, eò amplius à multi-  
plicitate elongantur, et simpliciores existunt;  
Angelus namq; simplicior est homine,  
Archangelus angelò; et sic ascendendo sem-  
per ad maiorem simplicitatem pervenimus.  
Cum igitur tu Domine Deus meus sis om-  
nium perfectissimus, consequens est, quòd sis  
actualissimus, et simplicissimus, excludens om-  
nem prorsus compositionem, quæ prerogativa  
nulli nisi tibi soli competit; inde fit, o ama-  
bilissime Deus, quòd non sint duo, substantia  
tua et esse tuum, sed idem omnino sint in te  
essentia et esse, Deus et deitas. Hæc planè sunt  
valde admiranda, meumq; transcendunt intel-  
lectum; nihilominus, o mi Deus, licet tuam  
simplicitatem comprehendere nequeam, minus ad  
eam unquam pervenire possim, quamdam tamen  
cupio simplicitatem, quam à me exigis. Aufer  
igitur à me o ens simplicissimum, o purissimū  
bonum; aufer inquam, a me omnem multipli-  
citem desideriorum terrenorum, ac tribue mi-  
hi cor simplex, et cuius affectus ad te unum  
et simplex bonum super omne bonum per-  
petuo ferantur. O si à te Deus meus id  
consequi possem, quam tranquillam ac bea-  
tam ducerem vitam.

2 O amantissime Deus, si daretur quædam  
creatura, quæ res suam simplicitatem omnia  
desiderabilia, omnia delectabilia, et quidquid  
cor satiare potest, in se contineret, quam im-  
pense eam diligeremus. Et ecce Domine Deus



Tu es substantia simplicissima, et incomposita,  
 ac proinde ditissima, quia tu es tibi omnia, et  
 extra te nullo opus habes; <sup>inde est quod</sup> ac proinde omnia  
 bona, omnesque perfectiones, et quidquid apud nos  
 in pretio est, in te recludas; tu igitur opulentia,  
 dulcedo, bonitas, pulchritudo, sapientia, tu via  
 veritas et vita; via per quam ambulare de-  
 beo, ut veniam ad te, veritas, quam complecti  
 cupio, ut cognoscam te, vita, secundum quam vi-  
 vere desidero, ut fruatur te. Et haec omnia sunt in  
 te simplicissima entitas. O dilecte votorum meo-  
 rum! O unicum bonum meum. amulos hanc tuam  
 simplicitatem, atque intentionem rectus, et simplex  
 esse cupio, ut in omnibus cogitationibus, desideriis,  
 et operibus meis, nihil nisi te solum quaeram, ac  
 te solum sitiam.

3. Quid mors, O dilectissime Deus? nonne separatio  
 anima à corpore; sed tu cum sis simplicissima sub-  
 stantia, corpore et anima constare nequis, et sic  
 nunquam mori poteris. Reges huius seculi moriuntur,  
 et clientes suos in ipsos sperantes vacuos et suam spe  
 frustratos relinquunt. At tu Rex seculorum im-  
 mortalis et invisibilis nunquam nos in te confi-  
 dentes, deseres, quia mortem et infernum nexis,  
 sicut enim tibi Deo meo tanquam substantia  
 simplicissima nihil accedere poterit, <sup>ut tunc Deus</sup>  
 Deus talem etiam simplicitatem consequatur, qua  
 mortem gustare non valeam, mortem inquam  
 peccati; anima enim, quae peccaverit, ipsa mo-  
 rietur. Haec igitur mors longe sit à me;  
 quia non est in morte, qui memor sit tui.  
 tantum abest, ut ut tunc de torrente volup-  
 tatis tuae potari valeat. Potius morte  
 iustorum moriar, ut cum ipsis in caelesti pa-  
 tria inebrietur ab ubertate domus tuae.

† potest, ita etiam  
 a te nihil recedere

Ezechiel.  
 16.

ps. 6.